

consonantibus literis consignatō, alia atque alia puncta vocalia, aut eadem aliō atque aliō locō affinguntur, aut appinguntur, reddetur aliud atque aliud, ac proinde etiam aliud atque aliud eō denotabitur. Hujus ambiguitatis exempla in V. Testamentō, ejusque versionibus reperias varia, & quidem non exiguō numerō; quædam video apud Vossium locō jam jam laudatō. In integræ Orationis pronunciatione considerandæ Distinctio, & Variatio. *Distinctio* respiratione peragitur, quâ per intervalla sustinemus, suspendimus, aut deponimus sermonem. *Comma sustinet*, *Colon suspendit*, *Periodus deponit*, ut habet Lipsius in Epistol. ad Hub. Audejantium de Distinctione & Interpunctione. In commate est minima respiratio, in colō media, in periodō plena. His tribus à multis additur Semicolon, in quō respirationem paullò majorem, quam in commate, sed minorem, quam in colō statuunt. Huic verò in Sermone distinctioni respondet in Scriptō *interpunctio*, quæ est, definiente Lipsio, *Notandi certa ratio, quā secamus & partimur scriptionem*. Hæc sanè tam orationi scripturâ expressæ, quam ore prolatæ distinctio necessaria: *Nam hercules (ejusdem sunt verba) confusa tota lectio & intellectio, nisi notæ suæ dividant, & quasi manuducant*. Unde tam Obscuritatem quam Ambiguitatem ex interpunctionis defectu vel neglectu, vel eâ præpostorè adhibitâ scriptioni oboriri posse patet. Atque hoc præcipuè locum habet in Antiquiorum Scriptis: Caruerunt namque Veteres illi Interpunctionis signis, quibus nos utimur: nec in eorum libris Distinctionum illæ variantes notæ reperiuntur: sed quicquid earum hodie iis inest, id omne à recentioribus additum esse existimandum. Quod & in ipso Novō obtinet Testamentō; neque enim putandum, Euangelistas, Apostolosque ita scripta sua interpusisse, ac commatis, coli, periodique notis ac signis distinxisse, quemadmodum ea hodiè interpuncta nobis obtruduntur: sed longō pòst tempore, cùm jam repartæ essent hæ notæ, id præstitisse Theologos Christianos. Unde est, quod ubi unus interpunctō utitur, 'alius vel nullum, vel planè aliud adhibendum statuat, prout iste locus suæ sententiæ magis minusve favere sibi videatur. Atque hujus rei exempla quam plurima adferre non difficile esset, nisi id, cùm passim Theologorum scripta perscrutanti obvia sint, supervacaneum duceremus. Pergimus itaque ad pronunciationis *Variationem*, quæ vocis elevatione, & depressione, aliâque ejus flexione absolvitur, admodumque multiplex esse potest. Hâc varia Orationis accidentia exprimuntur, qualia sunt interrogatio, admiratio, interpositio, ironia, rogatio, jussus, minæ, & id genus alia. Quæ omnia etiam in scripturâ notis quibusdam, eum in finem destinatis, ob oculos ponere oporteret lectoribus, si iis cunctæ Orationum ore prolatarum differentiæ literis exhiberentur. Fatemur quidem istas differentias saepius ex vocabulorum Orationis tum significatione, tum collocatione, seu

D 2

dispo-